

9

UXOR VIGILANS.

*Id est*

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS

*Ad L. XXIX. C. de Jure Dot.*

*Quam*

Præside, qui omnibus rebus præsidet,

AUTHORITATE ET GRATIOSO INDULTU

NOBILISSIMÆ & CELEBERRIMÆ

FACULTATIS JURIDICÆ

IN

ACADEMIA PATRIA

PRO

Summis in Utroque Jure Honoribus & Privilegiis

DOCTORALIBUS ritè obtinendis :

*Excellentissimis DN. DN. PROFESSORIBUS*

*ventilendam exhibet*

*Ad diem II. Julii M. DC. XC.*

JOH. JACOB. Hombergk /

à SCHENCKLENGSFELD,

CATTUS.



Diss. jur. civ.

*Marburgi Cattorum,*

165,22.

JOH. JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typogr.

*Illustrissimo & Generosissimo*

*Domino,*

DOMINO

JOHANNI  
Libero Baroni de Görz

Dynastæ de Schütz &c.

Camerae Præsidi Hasso-Cassellano

ET

Confiliario Statûs & Intimo

*Domino suo Clementissimo*

*Disputationem hanc Inauguralem, in tesse-  
ram devoti animi, humili manu  
offert*

JOHANN. JACOB. Zombergk.



## Præfatio.

*Lector Amice!*



S In unquam, certè proverbium tritissimum; *Velle suum cuique esse, nec voto uno vivi*: veritatem suam ostendit, & comprobatur in casu, ubi de eligendo Disputationis Inauguralis Juridicæ themate commodo agitur. Aliis enim placet materiam vel nomine, vel etiam tenore rarissimam tradere: Alii argumentum per Juris & Interpretum latifundia diffusum, in unum velut horreum cõgerere fatagunt: Sunt quos juvat, ex variis juris materiis, quasi fertum legere & lectoribus offerre. Quantum ad me, ut unicuique usumfructum suæ opinionis libentissimè relinquo, nec ullius luminibus officere, aut cum eo finium regundorum agere desidero, sic tamen non

spernendum duxi monitum Jurisconsulti in l. 25. ff. de liber. legat. rogo plenius quæ ad hæc spectant attingas, quotidiana enim sunt. Atque hinc legem 29. C. de jure dot. nobilissimam in Theoria, utilissimam in praxi, non tam exhauriendam meritâ elaboratione, quàm potiùs stricturis illustrandam suscepì, in specimen Disputationis Inauguralis. Te, Benevole Lector, rogatum volumus, ut conatibus nostris faveas, & de iis benignè judices.

**Lex XXIX. C. de Jure Dotium**  
sic habet.

Imperator Justinianus. A. Mennæ. P.P.

Lex resol.  
venda.

**U**bi, adhuc matrimonio constituto, maritus ad inopiam sit deductus, & mulier sibi prospicere velit, resque sibi suppositas pro dote, & ante nuptias donatione, rebusque extra dotem constitutis, tenere: non tantùm mariti res ei tenenti, & super his ad iudicium vocatæ, exceptionis præsidium ad expellendum ab hypotheca secundum creditorem præstamus: sed etiam, si ipsa contra detentatores rerum ad maritum suum pertinentium super iisdem hypothe-  
cis

cis aliquam actionē secundum legum distincti-  
 etionem moveat, non obesse ei matrimonium ad-  
 huc constitutum sancimus, sed ita eam posse eas-  
 dem res vindicare, vel à creditoribus postero-  
 ribus, vel ab aliis qui non potiora jura legibus  
 habere noscuntur, ut potuisset si matrimo-  
 nium eo modo dissolutum esset, quo dotis &  
 ante nuptias donationis exactio ei compete-  
 re poterat; ita tamen, ut eadem mulier nullam  
 habeat licentiam eas res alienandi vivente  
 marito, & matrimoniò inter eos constituto. sed  
 fructibus earum, ad sustentationem tam sui,  
 quam mariti, filiorumque si quos habet, abuta-  
 tur. Creditoribus sc. mariti contra eum ejus-  
 que res, si quas postea à fortè acquisiverit, integra  
 sua jura habentibus: ipsis etiam marito & u-  
 xore post matrimonii dissolutionem super dote  
 & ante nuptias donatione pro dotalium in-  
 strumentorum tenore, integro suo jure potituris.  
 Dat. III. Idus Decemb. Dn. JUSTINIANO  
 A. II. Cons. 528.

Quandoquidem ergo, juxta tritum illud,  
 qui benè distinguit, benè docet, ideò textum hunc

Divisio  
 textus.

A 3

ita

ita considerabimus, ut eum in partes quasi disseceamus. Quarum I. erit occupata circa generalia; II. specialem legis explicationem continebit: pars III. explicationem & limitationem privilegii tradet; quibus peractis, legis sensus, ratio, æquitas, praxis & utilitas sole meridiano erunt clariora.

## P A R S I.

*Generalia continens.*

## §. I.

Liber, unde  
textus de-  
sumtus.

**A**Ntequam verò analysin legis nostræ aggrediamur nonnulla priùs, quæ ad maiorem ejus explicationem, maximè verò historiam, faciunt, pertractabimus. Videmus verò radiantem legem nostram in Corpore Juris Civilis, & quidem in Codice, non quidem illo, ex tribus Codicibus, Hermogeniano, Gregoriano & Theodosiano, conflato, quem de suo nomine Justinianicum appellavit Justinianus, & An. Chr. 529. Imperii Anno 3. edidit, uti pluribus docet Constitutio *de nov. Cod. fac. & Justin. Cod. conf.* ille enim Codex, nescio quo fato, prorsus evanuit; sed illo, quem repetitæ prælectionis Codicem vocant, quo edito A. C. 534. hodiènum utimur. Utrum autem hæc lex nostra 29. ad decantatas & tot interpretum commentariis illustratas 50. Decisiones sit referenda, res altioris non est indaginis, & levato velo, prout hîc nobis summarîè procedendum est, expediri potest; nec opus est ut inquirentem ad Merillium & Franc. de Linglois vel Cl. Strauchium, qui de 50. vel 30. Consti.

Consti.

Constitutionibus integro tractatus in lucem edidere, remittamus, si modo hoc consideremus, legis nostræ natales referri ad A. C. 528. adeoque integro anno majorem esse repetitæ prælectionis Codice, sexenniō verò quoad natales Codicis repet. præl. cum quinquaginta Decisiones demum natæ sint eo tempore quo Pandectæ; nempe anno 530.

## §. II.

**A** Cunabulis itaque legis nostræ recedentes inquirimus Legislator. in ejus Parentes. Et quis potior erit Justiniano! cur hoc inquires? quia prospicit sexui fœminino, cui admodum favisse Justinianum nonnulli blaterant, illumque multas in Conjugis suæ Theodoræ sequiorisque sexus gratiam leges condidisse; nimiamque & majorem curam rei uxoriæ, colusque quam sceptri gessisse, cavillantur: Inter quos non ultimum locum sibi vendicat Bodinus, qui quasi absurdi Justinianum arguit, quando uxorem suam Reverendissimam Augustissimamque in §. ult. Inst. de usucap. appellat; Sed euge Bodine! forsan tibi ignotum, quod, quando Justinianus illam sic vocat, id non tam ratione sui, quam subditorum faciat; Inveniuntur etiam præterea in jure nostro alia & plura exempla, ubi uxores sanctissimæ (quod tamen magis est) Dominæque vocantur, ut in l. uxor 41. pr. ff. de Legat. 3. l. Titia 19. §. 1. ff. de ann. legat. Et quid Bodinus dicet de Carolo V. Reg. Galliæ, qui uxorem Reginam Parlamentari consilio interesse voluit, septimo & quinto Idus Maji Anno 1369. uti videre est apud Limn. *rr. ad jus publ. L. 11. cap. 14.* cur ille intactus relinquatur, certè penetrare non possum: cur hîc talpa cæcior est Bodinus, cum alibi serpens Epidaurius esse velit? nempe Imperium Romanum ubique carpere studet, & id manticæ, quod à tergo suo est, non videt. Fomite[m] quidem non unarum

unarum turbarum, amoris, in mortalium præcordiis potentiam, utut non diffitear, in promulgandis tamen condendisque legibus, studiosissimum juris compilatorem operam impensurum, huic affectui se obnoxium præbuisse Justinianum, non est quod putem. Sed ponamus, Justinianum in mulieres fuisse propensissimum, & in earum gratiam multa privilegia promulgasse, quid tunc! quis enim earum non misereatur, ob obsequia, quæ maritis præstant, propter partus periculum, & ipsam liberorum procreationem, uti molliter canit *l. 12. C. qui pot. in pign.*

§. III.

Persona ad quam lex scripta. **R**escripsit verò Illustrissimus, quem diximus, parens, legem nostram ad Mennam, ad quem & aliæ leges in Codice scriptas memini, & occurrunt inter alias *l. 2. C. quando libell. princ. dat. lit. cont. fac. & l. unic. C. contr. judic. vel eor. qui sunt circa eos &c.* Adjiciuntur pro more seculi *P. P.* quæ certè lætius quid denotant quam Græcorum tria *K. K. K.* proverbio nota. Nec verò illæ literæ *P. P.* idem denotant, quod in fine Procemii Institutionum, ubi dicitur Institutiones esse promulgatas *D. Justiniano P. P. A. III. Consul.* ibi enim literæ *P. P. A.* vel perpetuo Augusto (unde Germanorum illud *allzeit Mehrer des Reichs*) vel, ex aliorum voto & suffragio, Patre Patriæ Augusto, denotant; sed in casu nostro per sæpè dictam litteram duplicatam Mennæ dignitas indigitatur. Quod si ergò legis *14. C. de non num. pecun.* rubricam inspiciamus, ibi non signis sed expressa appellatione Menna noster Præfectus Prætorio appellatur, ex quo ænigma nostrum facile dissolvitur. Non verò necesse est, ut modum rescribendi accuratiùs hic tradamus: videri possunt plura de hac



de hac re tradentes Dd. ad §. 6. *Inst. de I. N. G. & C. Hahn.*  
*ad Wesenb. de Origin. jur. n. 4. & ad tit. de Appellat. num. 4.*  
*Mev. p. 7. decis. 96. & p. 9. decis. 114.*

## §. IV.

**D**ATA autem est lex nostra, uti antevertimus monere, Tempus  
Legislatio-  
nis & lo-  
cus.  
 non sine die consule, ut multæ leges Codicis (quæ ta-  
 men propterea vim suam non amittunt, vide Brunnem.  
*ad Const. de nov. Cod. fac. num. 6.*) sed tertia die ante Idus  
 Decembris, id est, si Criticorum filios consulas, die XI.  
 Decembris Anni Christi 528. quo Justinianus instituit  
 immensa veteris prudentiæ volumina in ordinem redi-  
 gere Struv. *Exerc. I. th. 68.* cum qua computatione Fasti  
 Consulares amicè conspirant. Locus verò natalis legis  
 nostræ omissus est, indeq; in occulta nobisque incognita  
 re anxie nec lubet nec licet inquirere; si tamen conjectu-  
 ris indulgendum, nova Roma seu Constantinopolis patria  
 erit legis.

## P A R S II.

*Specialem legis explicationem  
 exhibens.*

## §. I.

**M**ATRIMONIUM prout certas habet classes, & quasi  
 juxta duplicem faciem, Jani instar, consideratur, sic  
 & Jura inter conjuges varia sunt diversaque; alia  
 enim ante matrimonium, seu in ejus initio, utpote spon-  
 salibus, quæ nuptias & matrimonium ipsum præcedere  
 solent, uti tradit *Bart. in l. si pecun. n. 2. ff. de cond. caus. dat.*  
B caus.

*caus. non sec.* quorsum pertinet *t. t. ff. de sponsalibus*; alia in ipso matrimonio & quidem primùm inito, quorsum refertur *t. t. ff. de nuptiis t. t. Inst. & C. eod.* alia in medio seu consumpto & per aliquod tempus constituto obtinent, ut si de reverentia & operis obsequialibus marito exhibendis, vel de defendenda uxore agatur; denique alia in ejus fine seu dissolutione, quorsum spectat *t. t. ff. de solut. matr. dos quemad. pet.* observantur. Quandoque verò distinctæ hæc species quali coalescunt, uti fit in hac *l. nostra 29.* id est, idem juris observatur circa constitutum adhuc matrimonium ac solutum, non tamen ordinariè & semper, sed quando uxoris maritus facultatibus labitur adque inopiã vergit & sic matrimonii oneribus ferendis est impar.

§. II.

Explicatio  
legis.

**U**T ergò sine ulteriori præfatione in viscera famosæ, pulcherrimæ & quotidianæ legis nostræ, tanto exactius penetrare possimus, eam si non examussum & quoad minutissima etiam, tamen secundùm omnes partes suas necessarias delineabimus. Incipit autem lex nostra sic (*ubi adhuc matrimonio constituto*) regulariter verum est, constante matrimonio dotem non posse repeti ab uxore, *Afflictus decis. 349.* sed eò demum solutò, per *t. t. ff. & C. solut. matr. dos quemad. pet.* quia dos oneribus matrimonii inservire debet, per *l. si pater. 26. in fin. ff. de jur. dot. l. pro oneribus. 20. C. eod.* non cessante itaque causa, nec effectus cessabit: ast constante matrimonio durant matrimonialia onera, quorum effectus, ut commoda dotis avara manu non eripiantur; imò nec sponte maritum dotem solvere posse, notissimum ex notabili *l. unic. C. si dos const. matr.* quia alias esset donatio, quæ regulariter constante  
matri-

matrimonio esset illicita : Brunnem. *ad l. 20. C. de jur. dot.* sed in hac lege nostra 29. exceptio est, cui jungenda lex sequens 30. *& ex ff. l. 24. de solut. matr.* idque solus efficit summus in jure dotis favor, Reipublicæ enim interesse dicitur *in l. 2. ff. de jur. dot.* mulieres dotes suas, propter quas nubere possunt, salvas habere, adeoque quamprimum periculum dotis imminet [quod fit quando maritus facultatibus labitur, tunc enim metuendum est, ne sturnatim advolent creditores, & rem, ut Plautus ait, cum pulvisculo abripiant] dos est repetenda

§. III.

**P**ergendum! *maritus* ait lex: an vox mariti hic sponsum includat quæri posset? & negari non potest, in Jure Civili passim sponsum & maritum æquiparari eodemque jure frui per *l. 15. §. 24. ff. de injur. l. 24. ff. de jur. dot. l. 5. C. de bon. qua liber. l. 71. §. 3. de cond. & demonst.* ex principio, quod non concubitus sed consensus nuptias faciat, *l. nupt. ff. de reg. jur. l. cum fuerit. ff. de cond. & demonst.* quid si ille ad inopiam sit redactus, an eandem actionem contra eum intentare possit sponsa, quam intentat uxor contra maritum? his tamen non attentis puto maritum hoc nostro casu sponsum non includere, ex hac ratione, quod ante consummatum matrimonium dos aut raro, aut nunquam soleat sponso dari: quod si tamen id factum fuerit, aut aliàs casus contingat, quò sponsa ratione donationis propter nuptias sibi promissæ periculum subeat, id quod de marito dictum est, ad sponsum extendi posse, nullus dubitarem,

§. IV.

( *AD inopiam sit deductus* ) esset hîc locus multis deducendi, quis ad inopiam dicatur deductus, & quibus

bus modis id probetur : sed quia metuendum est , ne ultra metas scholastici speciminis discursus abeat , præsertim cum adhuc plura restent explicanda , nihil nisi hoc monebimus , uxori , quia se fundat in inopia , impositum esse onus probandi , quæ quidem probatu non erit difficilis , si creditores mariti concursum excitaverint , hoc enim signum est , aliquem non esse solvendo , *Mev. p. 5. dec. 197. 198. conf. p. 7. d. 22 23.* idem dicendum si notorium sit , quod juramentum paupertatis præstiterit debitor , vel ostiatim vadat , vel si ipsemet & ejus fidejussor juret , nulla bona debitoris ad esse ; vel per famam vicinorum , ita ut ulteriori judicis declaratione opus non sit *Carpzov. p. 2. const. 18. def. 15.* vide *Daniel Wegner de Banciruptor. cap. 5. num. 28. & seqq. Mev. 7. decis. 277. Gail. II. obs. 51.* Conceditur verò hoc beneficium uxori ideò , quia matrimonii oneribus ferendis est impar , potestque uxor provida statim dotem vindicare , ac si posset , si matrimonium esset solutum , quia uxor inopem habens virum viduæ comparatur. *Gail. I. Obs. in. 41.* nec debet expectare , donec omnia mariti bona in fumum cineremque redacta sint. Pertinet huc quod apud celebrem *Mev. p. 7. dec. 129.* traditur , quando ait : *Ex privilegiis Nobilium Pomeraniae , ut & constitutionibus moribusque Provincialibus uxores lucrum dotis ex maritorum bonis capiunt , dimidiam nempe partem ejus quantitatis quam pro dote attulerunt ; inde inter pacta dotalia simul de eo convenire solet : concipiuntur autem hæc , quemadmodum & illa sonare videntur de causa mortis mariti , unde in disceptationem venit , si maritus vivus facultatibus lapsus ad cessionem*

nem

nem bonorum deveniat, utrum perinde uxori lucrum dotis debeatur inter creditores? videri quidem ab initio potuit in unam causam datum, ad aliam non esse extendendum, praesertim, cum ex privilegio & consuetudine, quae stricti juris sunt & strictissime accipiendae, res illa descendat; Praeterea illa lucra dotium sint odiosa, praesertim ubi cum creditoribus contenditur, qui de damno vitando certant, idcirco antehabendi de lucro vitando certantibus. At re rectius perpensa, existimatum fuit, non minus de pauperato & bonis cedente marito, quam eo mortuo, lucrum illud perinde ut dotem deberi. Est enim hoc beneficium quoddam singulare uxoribus Nobilium datum; Cujus solutio etsi in casum mortis suspensa est, debitum tamen non est morti velut causa aut conditioni illigatum, sed statim debetur, tantum ante mortem non praestatur. Propter mortem itaque non competens, non potest ob illam non secutam, crediti sublatum. Deinde miserabilis casus de pauperationis non est modus tollendi illud debitum, sed potius causa petendi, quo uxor post obitum mariti, de eo secura fiat. Eoque magis, instar alterius cujusque debiti in concursu peti potest, si & pactis dotalibus idem promissum fuerit; Ea est ejus debiti ratio, qualis alterius cujusque, quod in diem certum debetur, cujus in concursu creditorum petitio admittitur. Ratio illius beneficii seu lucri in casum aequè congruit.

Cum enim Nobiles Pomeraniae olim bona sua al-  
 odialia Principibus in Feudum obtulissent, id vicif-  
 sim reservatum & ab iis indultum, ut ex Feudo  
 non dotes modo, sed & earum ista lucra uxores re-  
 cipiant, adeoque habeant, unde mariti causa gau-  
 deant, sicque id censetur ut debitum aliud, non ut  
 merum lucrum, ideò una cum dote eodem privile-  
 gio & jure gaudet, istique equiparatur. Nec facile  
 ratio diversitatis reperietur, cur mortuò maritò  
 cum dote ante alios creditores viduae adjudicetur,  
 non autem ubi vivus bonis cedit, quem utrumque  
 casum jura comparant. &c. notabilia, ubi ex l. nostra  
 29 palmarium argumentum desumitur

§. V.

Quæ de inopia dicta sunt, illa non solum obtinent, sive  
 casu fortuito, sive culpâ mariti illa contigerit, etiamsi  
 enim Sejura in libr. de luc. mar. & uxor. p. 465. n. 9. putet;  
 priori casu uxorem beneficium legis 29. non habere, ta-  
 men paulò post ex meliore luto ei Titan præcordia finxit,  
 dum d. l. num. 109. p. 517. palinodiam canit: nam & in ca-  
 su fortuito militat dotis favor, quem privilegio exactio-  
 nis causam dedisse diximus; Consentit nobiscum Brun-  
 nem. ad L. nostram. num. 16. versu nec hic &c. An verò  
 uxor etiam fruatur beneficio, si sciens obærato marito nu-  
 pserit? nunc quidem accuratiùs non examinabimus,  
 quamvis defendi possit, opinio negantis Gailii & Carpzo-  
 vii allegatorum à Struvio Ex. 30. th. 56. illud tamen non  
 obliviscendum per novissimam decisionem Electoralem  
 Saxoni-

Saxonicam aliud esse constitutum, fatente ipsomet Struvio *Ex. 44. th. 29. n. 2.* Distinguit accuratè quoad hanc quæstionem Brunnem. ad *L. nostram n. 19:* & duabus conclusionibus difficultates evitare & controversiam decidere satagit. Cæterùm quod de inopia dictum, id etiam verum est, si maritus deportandus sit, vel bona eius confiscanda Struv. *Ex. 30. th. 56.* Brunnem. ad *l. 1. C. de repud. n. 6.* Sic & idem valet, quando maritus captus est ab hostibus, vid. Brunnem. ad *L. 5. C. de solut. matr. n. 6.*

§. VI.

Porro ait lex & mulier sibi prospicere velit ) ut enim aliàs vigilantibus jura sunt scripta, sic nec hîc invito beneficium datur *l. 69. de R. I.* & auferri invito quid potest, non verò dari *l. 19. §. 2. non potest ff. de donat.* invitumque agere nemo cogitur, *l. un. C. ut nemo invit. ag. cog.* est enim cuivis agere vel non agere liberum *l. 5. §. ult. de except. dol.* Obiter hîc monemus ex Gothofredo ad hanc *L. nostram.* quod Theodorus vetus interpres in *l. 1. §. 1. C. de rei uxor. act.* referat, in extremo hujus legis dici, mulierem posse renunciare his quæ sibi competunt hypothecis: hinc Con- tius putat illa Theodori verba huic legi nostræ esse adjici- enda. Quamvis verò hoc non injuriâ displiceat Cujacio *lib. 13. obs. 25.* tamen hac occasione quæri posset, ane uxor huic beneficio possit renunciare? quod ideò vix fieri posse videtur, quia juxta *l. 2. ff. de jur. dot.* Reipublicæ interest, mulieribus dotes esse salvas, ut adeò circa ipsam il- lam rem jus publicum concernentem pactis privatorum aliquid non videatur licere per expressum textum in *l. 38. ff. de pact.* præsertim, cum in jure non valeant pacta, quæ indotatas reddunt mulieres Struv. *Ex. 30. th. 15.* Afflict. *dec.*

dec. 154. Theffaur. dec. 230. etiamsi verò hujus quæstio-  
nis decisioni jam non litemus, tamen fortè non incom-  
modum erit, distinguere inter donationem propter nu-  
ptias (ubi magis consideratur consensus uxoris, vide l. ii.  
C. ad S Ct. à Vultej. Auth. sine à me C. eod. Pac. cent. 7. q. 91.  
Berlich. p. 2. concl. 20. Moller. 1. sem. cap. 43. Mev. p. 8.  
dec. 108. & 109. Carpzov. part 2. const. 16. def. 1. 14. 15. 16.  
20. Brunnem. addict. l. ii.) & inter dotem, præsertim cum  
metus est, ne omnia bona, uxor amittat, quo in casu juxta  
multorum opinionem mulieri etiam juramentum remit-  
titur, quod tamen rectè limitat Struv. Ex. 17. th. 26.

§. VII.

SEquitur nunc *resque sibi suppositas pro dote*) Sciendum  
est, variè accipi verbum dotis, significat enim quando-  
que id, quod præcipuum nobis à natura, sive ab homini-  
bus conceditur; unde LIA, cum parere jam disisset, & ni-  
hilominus DEI beneficio sextum filium è Jacobo peperis-  
set, inquit! *dotavit me DEVS dote bona!* Gen. 30. vers. 20. &  
Cicer. lib. 1. de orat. inquit: *cuius artem cum indotatam at-  
que incomitatam videres, verborum ea dote locupletasti & or-  
nasti;* Et quod magis est, Plinius hoc nomen etiam ad res  
inanimatas transtulit, cum dicit; *Vinum vite dotatam.* Et  
Ictus ea quæ fundis inserviunt, dotes prædiorum appel-  
lavit l. 2. §. 1. & l. Seje. §. liberto. ff de fund. instr. leg. Porro  
dicitur dos, quæ data est moniali monasterium ingre-  
dienti, uti tradit Bart. in l. 1. §. si parens. n. 1. sub. fin. si à pari  
quis man. fuerit. & Bald. in l. quoniam Novella. num. 10. in  
fin. C. de inc. nupt. Denique & dos & quidem propriè  
dicta, est illud, quod traditur vel promittitur marito à mu-  
liere, vel quocunque alio, ob causam matrimonii ejusve  
onera



onera ferenda per *l. 1. l. 56. §. 1. l. 76. ff. h. t. l. 20. C. eod.* & in vernacula nostra appellatur *der Frauen Einbringen oder Mitgift / item Heuraths Gut / Ehesteuer / Brautschatz / Ehegeld.* Et in hoc sensu dotem acceptam intelligit Imperator in L. nostra. & non semper in pecunia numerata, verum etiam aliis rebus immobilibus, dotis loco datis, ut fundo, vid. *t. t. ff. de fund. dot. domove, vel incorporali, ut usufructu l. 17. & seqq. C. h. t.* nominibus etiam actionibusque consistit. Ut propius ad rem accedamus, extra omnem dubitationis aleam positum est, rem immobilem in dotem datam à marito alienari non posse, *t. t. ff. de fund. dot.* etiam si uxor consentiat *pr. Inst. quib. alien. licet vel non. l. unic. C. de rei uxor. act.* adeoque si ea res in dotem data sit alienata, marito ad inopiam vergente uxor eam rei vindicatione ( quia ipso jure dominium rediit: *Struv. Ex. 30. th. 47.* quamvis alii sint, qui actionem ex stipulatu concedant, *Wilsenb. p. 1. d. 48. thes. 16.* ) repetet, quod & de rebus propter nuptias donatis sancit *Auth. legi nostræ subjecta.* Sed quid si dos æstimata data sit, quo casu maritus eam rectè alienat. arg. *l. 10. pr. & §. 5. ff. de jur. dot. l. 16. l. 17. §. 1. l. 18. ff. eod.* quomodo mulieri erit prospectum? scilicet actione hypothecariâ, aliisque modis, ( de quibus statim dicemus ) quibus sibi servabit res primò *pro dote suppositas.*

### §. VIII.

**S**ECONDÒ *pro donatione ante nuptias, rebusque extra dotem constitutis.* Monemus hîc primò ut pro dote v. g. in re fungibili consistente, sic & pro donatione propter nuptias, [ quæ in L. nostra antiquum nomen *ante nuptias* habet,

C

bet,

bet, mutatum à Justiniano juxta §. 3. *Inst. de donat.*] rebus-  
que paraphernalibus uxori tacitam hypothecam in L.  
nostra expressè dari: videatur Struv. *Ex. 26. th. 14.* itaq;  
miror, qua fronte lumina Juris Bachovius & Giphanius  
tacitam dictæ donationi hypothecam adimant, magis  
quod id juxta jus civile verum esse credat Struv. *dict. loco.*  
confer Tabor, *relat. 60. & 67.* Sand. *dec. Frisic. lib. 3. tit.*  
*12. def. 3.*

§. IX.

Remedia. **H**Actenus de jure ipso vidimus, videndum nunc de re-  
medio quo jus illud obtinemus; uti verò aliàs in gene-  
re illud dividi solet in remedium actionis & remedium  
exceptionis argum. *l. 156. §. 1. ff. ad R. I.* sic & idem in hac  
L. nostra traditur verbis *non tantum maritres ei tenenti,*  
*& super his ad judicium vocata exceptionis presidium ad ex-*  
*pellendum ab hypotheca secundum creditorem prestamus: Sed*  
*etiam, si ipsa contra debentatores rerum ad maritum suum per-*  
*inentium, super iisdem hypothecis aliquam actionem secun-*  
*dum legum distinctionem moveat, non obesse ei matrimonium*  
*adhuc constitutum sancimus.* Primum remedium datur  
uxori possidenti vel tenenti, adeoque utilius: alterum  
non possidenti, adeoque difficilius est. Datur verò uxori  
prius remedium etsi à marito possessionem acceperit, ut  
*ex Novell. 12. cap. 39.* monet Gothofr. ad L. nostram; etsi  
tale factum aliàs dolosam collusionem saperet: nec etiam  
novum est in jure, mariti possessionem jure aut vicinitatis  
aut societatis arctissimæ prodesse. vide Mev. *p. 3. dec. 176.*  
*& Consil. post. 8. n. 43.* quandoquidem ergò uxor in omni-  
bus mariti bonis haud dubiè jus retentionis habet mor-  
tuò maritò, vide Struv. *Ex. 30. th. 51.* Moller. *semest. lib. 4.*

c. 13. Hahn. ad Wel. tit. in quib. caus. pign. tac. n. 1. quid nî idem ei in hoc casu inopis mariti ei concedemus? cum ut sæpè monitū, inops maritus & mortuus secundū quid idem censeatur, Possemus hîc circa jus retentionis varias quæstiones excutere, sed metuendum est, ne in Oceanum quendam invitirapiamur, itaque ad aliud tempus iste labor differendus erit.

§. X.

Quantum ad actionem, ex præcedentibus colligi potest, pro diversitate rerum dotalium, paraphernalium, vel propter nuptias donatarum, diverso etiam actionis genere uxore uti: v.g. rei vindicatione videatur Struv. Ex. 30. th. 26. & 47. Brunnem. ad Auth. permisso C. de don. ante nupt. Excell. Dn. Zaunschliffer Affinis & Patronus meus summè colendus in tract. de eo quod fit ipso jure. part. 1. th. 18. 19. imprimis 20. num. 2. vel hypothecaria, quod innuit L. nostra. Quærit ad hanc L. nostram Gothofredus, utrum actiones reales instituendæ sint directæ an utiles, & inter alios etiam ad partes vocat Cujacium lib. 5. obs. 29. Sed ille d. loco non de hoc casu nostro, sed de actione quæ pro pecunia re dotali empta, marito non existente solvendo, uxori detur, agit; Cæterum exercitii gratia defenderem hanc juri amiciorem opinionem, nostro casu dari actiones utiles, cum certe non ex primis verbis (quippe de marito *mortuo* agentibus) sed ex Imperatoris (inopiam mariti morti comparantis interpretando) extensione ad similem casum fluant.

§. XI.

Dantur verò actiones & in specie Serviana vel quasi, contra creditorem secundum non verò alios qui potiora

*jura legibus habere noscuntur.* Sciendum enim ne quidem res dotales, multo minus reliquas, ut pote minus privilegiatas omnibus indistinctè creditoribus præferri: quamvis enim in jure maximus sit dotis favor, ita etiam, ut mulier repetens dotē omnibus anterioribus creditoribus expressam hypothecam habentibus, juxta Doctorum opinionem, præferatur, non tamen tantus est, ut indistinctè omnibus anteponatur; non præponitur enim i. ministris domesticis ratione mercedis, vid. Struv. *Ex. 44. th. 47. n. 2. cum ibid. allegat.* 2. nec illi qui impensas funebres petit, *l. 14. §. 1. l. 45. de rel. & sumpt. fun. l. 17. C. de reb. aut. jud. pass. l. ult. §. 9. de jur. delib. l. 4. C. de pet. har. 3. nec Fisco quoad tributa & collectas vid. Struv. d. *Exerc. 44. thes. 47.**

§. XII.

**A**Ntequam ad partem tertiam transeamus, varix questiones affines erunt brevibus excutiendæ. I. *An maritus uxorem repetitionem Instituentem dato fidejussore possit remove?* Negamus & pernegamus cum Accursio & Giph. ad L. nostram, quicquid etiam pulveris in contrarium spargat Thoming. *dec. 58.* Rationum duplici fulcro sententia nititur. I. quia, beneficiò pro uxore introductò, ei invitæ fidejussor obtrudi non debet. II. quia pro dote fidejussor dari non potest: *t. t. C. de fidej. dot.* Quæstio secunda est. *An marito ud pinguius patrimonium redactò dos sit restituenda?* In contraria Dd. vota abeunt: sunt, qui pro affirmativa tanquam pro aris & focis pugnant; sunt & qui mordicè defendunt negativam; utriusq; aciei patronos explicat Wissenb. *p. 1. d. 48. th. 16.* Ego xpian meam, salvò rectiùs sentientium calculò, pro affirmantibus

bus do; arg. l. 4. §. 1. ff. de mun. & hon. duce Brunnemanno ad L. nostram. n. 20: 21. Nec obstat tritum, quod adversarii ad ravim usque crepant, brocardicon; *jura semel extincta non reviviscere*: illud enim regulam continet, cujus, ut multæ aliæ: Hahn, ad Wes. tit. de obl. & ast. Wislenb. p. 2. d. 28. th. 17. sub fin. ita & hæc est exceptio, nisi extinctio sit temporalis arg. d. l. 4. §. 1. qualis in nostro casu est: cessante enim inopiâ mariti, cessabit & effectus sc. dotis retentio. Sed tertiam adducamus quæstionem, certè difficilem: *Anne uxore, res mariti facultatibus lapsi v. g. domum persequente, secundus aliquis hypothecarius jus offerendi possit amplecti?* in negantium castra abit Afflictus decis. Neapol. 199. Sed certò ille Afflictus pænâ arbitraria est affligendus: Contrarium enim non modò alii Dd. quos huic Hæctori tanquam Achilles opponere possum; uti Fachin. lib. 3. contr. 100. & lib. II. contr. 14. Sarmient. lib. 2. selecta interpretatione 12. Wiff. d. th. 16. sed & juris ratio vult: nec enim differentiæ ratio potest dari, cur in muliere hypothecaria aliud juris in puncto oblationis constitui debet, ac in aliis creditoribus. In os obloqui videtur, l. 10. C. qui pot. in pign. ubi contra uxorem demum mortuò maritò jus offerendi datur creditoribus: sed cui ignotum, leges Codicis ad facti speciem accommodatas esse: Polipeuca in d. l. maritus mortuus erat, id quod referunt Imper. Valerianus & Gallienus. Dissentit tamen cum Afflicto Clapper. Rimmin. quos refert & non improbat Brunnem. ad hanc. L. nostram num. 12. 13. Sequitur quarta quæstio; *An quod de dote & donatione propter nuptias repetenda dictum, etiam extendendum sit ad dotalium?* equidem in negativam cum allegatis inclinatur Brunnem. ad L. nostr. num. 22 & c. ubi & in Camera Electorali Brandenburgica sic judicatum refert; ratio ipsius

præcipua hæc est, quia dotalitia expresse solent in casum mortis constitui, & pinguiora sunt jura dotalitii, quam donationis propter nuptias. Verùm quod pace tanti viri dixerim, utraque ratio non videtur satis stringere: jam sæpe enim dictum est, id quod de morte mariti dicitur, etiam de inopia ejus [ quæ mors quasi civilis est ] verum esse: & constat quoque vel ipsius Brunnemanni calculo ad *hanc L. nostram. n. 8. 9. 10. L. nostræ* mentem esse, ut uxori omnia integra servet jura quæcunque sibi post mortem mariti erunt competitura: ex quo pronum est colligere, etiam dotalitium *L. nostræ* subjacere, tantò magis quod vidua dicatur uxor, quæ maritum habet inutilem & alendæ uxori non sufficientem *Gail. I. Obs. I. n. 44.*

P A R S III.

*Explicationem & Limitationem Privilegiis continens.*

§. I.

Effectus. **H**AËtenus beneficium latissimè explicuimus, sequitur nunc, ut privilegii explicationem & limitationem consideremus, quod quidem brevioribus fiet. Continetur hæc in verbis: *Ita tamen, ut eadem mulier nullam habeat licentiam eas res alienandi vivente marito, & matrimonio inter eos constituto; sed fructibus earum ad sustentationem tam sui, quam mariti, filiorumq; si quos habet, abutatur. Creditoribus sc. mariti, contra eum ejusque res, si quas postea forte acquisierit, integra sua jura habentibus: Ipsi etiam marito & uxore post matrimonii dissolutionem super dotis & ante nuptias donatione, pro dotalium instrumentorum tenore integro suo jure potituris.* Est verò hæc explicatio privilegii non fortè alicu-

alicujus Jcti, sed ipsius Imperatoris, adeoque Authentica. Ideò verò ipse Imperator L. explicuit, quia metuendum erat, ne privilegium hoc Principis, ut aliàs fieri debet, latissimè & contra mentem etiam Imperatoris, extendere- tur, & sic æquitati quodammodo bellum indiceret. Re- spicit verò restrictio, 1. ipsam mulierem 2. creditores & 3. maritum & uxorem. Ratione mulieris dicitur, illam non posse res sibi ob inopiam mariti interim ob securita- tem traditas, & quasi apud eum sequestratas, alienare vivò maritò, sed quod earum fructus ad sustentationem sui, mariti, & filiorum impendat; adeò, ut cum aliàs uxor alen- da sit à marito, hinc viceversa maritus alendus sit cum fami- lia ab uxore, quippe bona possidente & administrante. Ratione creditorū (sc. qui potiora, quam uxor, nō habue- runt jura) dicitur, illos integra sua jura habituros, quoad illa bona, quæ maritus post prius quasi naufragium acqui- sivit, ut adeò hinc idem videamus, quod videmus in casu, quando quis bonis cedit, ubi, si bona cessa non sufficient, creditores [ quia cessio debitum non extinguunt *l. 6. ff. de cess. bon.* ] quoad illa bona, quæ postea cedens acquisivit, cedentem ad pinguiorem fortunam redactum & redu- ctum, ita tamen possunt convenire, ut beneficio compe- tentiæ fruatur *Struv. Ex. 44. th. 31. Strauch. Ex. 28. aph. 15.* Denique 3. ratione viri & mulieris id observandum, ut pa- cta dotalia vel consuetudo loci vim suam obtineant, si contingat morte aut alia justa causa dissolvi matrimoniū: unde concludi potest, si postea uxor moriatur, maritum lucrari id quod pactis vel statuto ipsi competit, indeque creditoribus satisfieri debere. Sed satisfactum videtur Legi utinam & Tibi Benevole Lector satisfecissemus! sed condonabis aliquid ætati, aliquid festinationi in procin- ctu ad iter stantis: omnia verò humanitas tua supplebit, qua

qua

qua in spe & fiducia filium abrumpo, Divino Numini pro gratiâ & auxilio grates immortales agens. Idque rogans ut in posterum laboribus meis clementer benedicere velit. AMEN.



A N N E X A.

I.

**F**rustra sunt Canones, qui in nuptiis liberorum parentum consensum excludunt.

II.

Condiotionem indebiti non dari quando solvens in jure erravit, aequitati conveniens dispositio juris Civilis, nisi tales sint personæ quibus ignoscunt Jura, si nesciant jura.

III.

Creditores filium ut heredem convenientes, probare debent ipsum adisse hereditatem, etiamsi enim ipso jure sit heres, id tamen non sufficit, quia illa existentia nuda est, vocatur, magis arbitrium filio dat sese immiscendi, quam quod sit ipsa immixtio.

IV.

Actio, quæ ob lesionem ultra dimidium ex l. 2. C. de resc. vend. datur, nulla alia est, quam actio empti venditi.

V.

Etiam templum, post novi operis nunciationem adificatum, est destruendum. cap. 1. X. de novi operis nunc.

VI.

Minor, alienationem rei immobilis sine Magistratus Decreto factam, semper potest impugnare, & quidem rei vindicatione.

